

mus harmoniam::: Necessariam inter Ecclesiæ ministros talem subordinationem dicimus, & regendi et paren- di, partes distribuit::: pares enim et æquales ubi es- se cupiunt omnes, quid aliud inde sperandum, nisi in- ordinata confusio, discriptis sententiis, ac præposte- ris temporibus omnia pessime disturbans. In præf. ad tract. de superintend.

§. XIV.

Et diversos ministerii sacri gradus.

Atque hic graduum, muneribus ac potestate distinc- torum quidem, certa tamen lege subordinatorum concinnus ordo *hierarchia ecclesiastica* dicitur. Quare aliud est *status Ecclesiæ*, aliud *hierarchia*. Ille clerum à ple- be separat: hæc ordinem exprimit ac subordinationem eorum, quos *Christus* instituit ministros ac dispensato- res mysteriorum (1), atque *Episcopos* posuit regere Ec- clesiæ Dei (2). Unde vulgo duplex statuitur, *ordinis* una, altera *jurisdictionis*. Utraque arctioribus quidem in principio, ac post etiam aliquandiu, limitibus circumscrip- ta constituit, utramque aucto fidelium numero, et pro- pagato sensim credentium cœtu explicari magis ac dis- tingui necesse fuit, sed ratio tamen utriusque, et a *Chris- to* indita forma (§. IV.), quæ præter multitudinem credentium, *Episcopos* Apostolici muneri heredes (3), et *Presbyteros* discipulorum locum obtinentes (4) sub uno *Christi* in terris *Vicario* (§. XII.) fide et charitate in unum corpus conjungit (§. II.), eadem semper atque invariate retenta est. Verum hæc nobis jam paullo ex- pliciatius disputanda sunt.

(1) *I. Corinth. IV. 1.*(2) *Act. XX. 28.*(3) *Cyprian. epist. 42. edit. Balut.*(4) *Hieron. epist. ad Fabiol. mans. 6.*

SCHOL. Sunt qui *discipulorum* munus extraordi- narium fuisse, et ad tempus dumtaxat institutum volunt. Quæ opinio si vera esset, dimittenda utique Hierony- mi sententia foret, qui ordinem hunc in *Presbyteris* per- stitisse diserte tradidit. Sed illa profecto vanissima conjec- tura est, et ipsis sacris litteris aperte contraria. Vid. Frid. Eberh. Rambach in *præfat. ad Blakmori antiqu. christ. tom. I. præf. §. 7.* Sunt porro qui *discipulorum* septuaginta et *Apostolorum* idem fuisse munus eam- demque potestatem contendunt. Sed antiqui Patres eo lo- co *discipulos* habebant, ut *Apostolis* gradu inferiores fuisse contenderent: ita Chrysostomus, ita Tertullianus et Clemens Alexandrinus senserunt docueruntque pa- lam, ut intelligi possit, communem eam ductam ab *A- postolis* traditionem fuisse, quæ hoc minus rejici à quo- quam potest, quo magis consentanea est his, quæ de utroque ordine divinis litteris consignata sunt. Vid. cit. *præf. §. 6.* Mosheim de *reb. christ. Sec. I. §. 6. et 7.*

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. XV.

Christiani Clerici sunt aut *Laici*.

In primis duo sunt *Christianorum* genera *Clericorum* et *Laicorum*. Scilicet ministerium ecclesiasticum, quo nomine ordo illorum, qui docentium, pastorum, regen- tium munere in Ecclesia funguntur (§. XIII.), venit, certum est, *Christi* ipsius ab institutione originem du- cere (§. IV.). Tam enim multa sunt et tam manifes- ta institutionis istius in divinis litteris testimonia, ut

nulla possint disserendi subtilitate in alium sensum detorqueri (1). Neque vero instituit hoc *Christus* tantum, verum modum etiam doctrinæ ac formam præscripsit (2), rationemque administrandi Sacraenta monstravit (3), ac potestatem dedit remittendi retinendique peccata, non omnibus promiscue, sed his dumtaxat, qui vocati rite, et ad ministerium obeundum legitimo modo constituti essent (4). Ut negari non possit, quin et hæc et alia hujus generis complura, quæ ad ministerium sacrum pertinent, ita sint ordinis istius propria, ut sine fraude et injuria, sine violata divinæ institutionis lege occupari ab aliis minime possint. Hos autem in alio et à ministeriis sejuncto ordine connumerari, quid sit, quod vetet, fateor, me intelligere non posse. Etsi vero, quum de re satis constet, nolim de nominibus cum quoquam disceptare pertinacius: non dissimulabo tamen, ad eorum libenter accedere sententiam, qui clericorum laicorumque appellations ipsis adeo rerum christianarum initii æquales esse putant.

SCHOL. Id quod contra Seldenum et Rigaltium probat Jos. Bingham *orig. eccles.* lib. 1. cap. 5. et ante hunc Petrus de Marca *in diss. de discrimine clericorum et laicorum ex jure divino*. Justum vero Henningium Bohmerum distinctionem hanc juris esse divini negantem præcipue *dissert.* 6. et 9. *ad Plinium et Tertullianum* refellunt accurate Auctores memoriarum Trevoltinarum *ad ann. 1712. pag. 1800.* et præter Kippingum, Buddeum, Mosheimum theologos è Protestantium communione doctissimos, novissime è nostris Placid. Fixmillner *de rep. sacr. orig. divin. Exercit.* 3.

(1) *Ioann. XX. 21. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15.*

(2) *Gal. I. 8. 9. 12.*

(3) *Corinth. XI. 23.*

(4) *Joann. XX. 23.*

§. XVI.

Clericorum diversi gradus.

Clericorum ordinem universum hierarchia complectitur, in varios gradus distributum, quorum alii *divini juris* sunt, alii *ecclesiastici* (§. XIV.). De his deinceps agemus. Ex iis vero postremus est gradus *Diaconorum*, quos dubium nullum est, quin jam primis illis ac beatis Ecclesiæ temporibus ad hierarchiam sacram relati fuerint; nam et in sacris litteris frequens eorum injecta est mentio (1), et antiquissimi rerum christianarum scriptores Diaconos constanter ceteris duobus à Deo institutis gradibus Episcoporum scilicet et Presbyterorum accenserunt. Ita Clemens Romanus, Apostolorum, quod omnes norunt, et discipulus et comes in priore ad Corinthios epistola: *Apostoli*, inquit, *nobis evangelizaverunt à Domino Jesu Christo, Jesus Christus à Deo. Missus est ergo Christus à Deo, et Apostoli à Christo.* Itaque::: acceptis mandatis::: egressi sunt adnuntiantes, adventurum esse regnum Dei::: Prædicantes ergo per regiones et urbes ::: Episcopos et Diaconos constituerunt. Hoc teste perspicuum est, constitutos ab Apostolis Diaconos pariter et Episcopos eodem mandato, quo per regiones et urbes *jussi sunt* adventurum Dei regnum prædicare. Atqui hoc procul dubio Christi mandatum fuit (2); ut appareat Christi mandato institutos ab iis non Episcopos tantum, verum etiam Diaconos. Neque hoc nove, pergit idem Clemens: à multis enim temporibus scriptum erat (3): *constituam Episcopos eorum in justitia, et Diaconos eorum in fide.* Clementi consentit Ignatius in epistola ad Trallianos. Cuncti reverentur

(1) *Act. VI. 3. XXI. 8. ad Philipp. I. 1. I. Tim. III. 8.*

(2) *Matth. XXVIII. 19.*

(3) *Isa. LX. 17. ap. Coteler. tom. 1. pag. 171. §. 42.*

tur Diaconos ut mandatum Jesu Christi exequentes ministerio suo; et Episcopum, ut eum qui est figura Patris; Presbyteros autem ut consessum Dei. Sine his Ecclesia non vocatur (1). Neque alia Sancti Polycarpi sententia fuit, quam in litteris ad Philippenses datis scribit: subiecti estote Presbyteris et Diaconis, sicut Deo et Christo (2): quod quidem *S. Martyr* dicturus minime fuerat, si Diaconorum magis quam Presbyterorum institutionem mere humanam credidisset. Quæ autem docebat *Polycarpus*, ea docebat audita à *Joanne*, quo præceptore usus est, et à ceteris Christi discipulis: quippe nonnullos Apostolorum, et eorum, qui viderant Dominum, Magistros habuerit et viderit; Hieronymo teste *script. eccles. cap. 27.*

SCHOL I. Primam Diaconorum institutionem Lucas memoriae prodidit *Act. cap. VI.* ab iis enim tunc institutis Diaconis ducunt Patres originem Diaconorum, qui posthac constanter in ministerio altaris versabantur: veluti *S. Cyprianus in epist. 68.* quæ est ad Clerum et plebem Hispaniæ, et Concilium Neo-Cæsareense ann. 314. can. 14. Quæ sententia, si vera est, ut est sane magis certa quam verisimilis, Pfaffii illa *in orig. jur. ecclesiast. cap. 2. art. 2. pag. 43.* et aliorum probari minime potest, qua septem illos viros munus gesisse statuitur non ordinarium sed extraordinarium Hierosolymitanæ Ecclesiæ proprium; atque idcirco Diaconos, quorum Paulus in epistolis suis meminit, ab Hierosolymitanis illis plane fuisse diversos. Conjecturam hanc nulla probabili ratione niti Moshemius probatum dedit de *reb. christ. ante Constant. M. Sec. I. pag. 120. seqq.*

SCHOL II. Aliam munericis hujus interpretationem reddit *Just. Henn. Bohmerus in dissert. 5. ad Plin. §. 20.* Disputat eo loco vir doctus septem illos viros pauperum curationi præfectos ab Apostolis, non Diaconos fuis-

(1) *Ap. Coteler. tom. 2. Bibl. Patr. pag. 22.*

(2) *Ap. Coteler. tom. 2. pag. 190. §. 5.*

se, sed Presbyteros. Dudum ante hunc Thomas Bilsonus Presbyterorum nomine etiam Diaconos in libris novi testamenti indicari statuebat *libr. de perpetua eccles. gubern. cap. 10.* Burnetus autem septem illos Apostolis prope æquales fecit: Diaconos vero Paulo memoratos Presbyteros interpretatus est. Utraque hæc opinio habet aliquid, quod ad firmandam Bohmeri sententiam conferre potest, quæ si probari posset, sequatur sane necesse est illud, quod efficere magno conatu intendebat, primos cœtuum Christianorum Presbyteros, non sacratioris ministerii, sed bona pauperum rite administrandi causa potissimum fuisse institutos. Verum nihil inesse ponderis Bohmeri argumentis ostendit Moshemius *loc. cit. pag. 122. seqq.*

§. XVII.

Diaconorum ordo à Deo institutus.

Ipse tamen etiam Moshemius divinam huic munericis institutionem abjudicat ea maxime ratione, quod *Paulus*, ubi munera enumerat divinitus inter Christianos instituta (1), nullam plane Diaconorum mentionem faciat, ipse licet aliis in locis, quales esse deceat Diaconos, disertis sententiis præcipiat. Atque in hoc nescio, an quemquam è suis non consentientem habeat. Quorum est illud etiam ministerium Diaconorum in principio non sacrum, sed profanum fuisse in pauperum cura et bonorum communium quotidiana distributione situm: quod quidem ex ipsis Apostolorum actis liquere ajunt, quæ nullum, præterquam quod ad viduarum alimenta pertinet, ministerium Diaconis attribuunt, unde mensarum illos et viduarum ministros vocet *S. Hieronymus* (2). Huic sententiæ aperte fayet Synodus Trullana (3). Humanam au-

(1) *I. Corinth. XII. 28. Eph. IV. 11.*

(2) *In Epist. ad Evang.*

(3) *Can. 16.*

tem Diaconatus originem esse *S. Cyprianus* non dissimulabat, dum in epistola ad Rogatianum (1) monet eos: *Meminerint, quoniam Apostolos, id est, Episcopos, et Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem Apostoli post adscensum Domini in cœlos sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ ministros.*

§. XVIII.

Respondetur contrariis.

Sed hæc profecto tanti non sunt, ut communem Ecclesiæ Christianæ sententiam antiquissimorum Patrum traditione firmatam (§. XVI.) cogant deserere. Nam *Cyprianus* jubet quidein meminisse Diaconos, se post adscensum Domini constitutos demum ab Apostolis, Episcopos vero à *Christo*; nec tamen hoc voluit *S. Martyr*, quasi horum quidem ordo divinæ, humanæ illorum esset originis: sed hoc voluit *Christum* per se, ut ait schola, Episcopos, Diaconos vero per Apostolos instituisse, quod ipsum etiam satis grave ad conciliandum Præpositis honorem, reprimendamque Diaconorum temeritatem fuit, qui Episcoporum auctoritatem vilem habebant. Alioqui *Cyprianum* Diaconorum ordinem non minus quam Presbyterorum à Dei ipsius institutione repetiisse, dudum est, quod viri docti penitus confecerint. Operam vero Diaconorum, quos à plebe selectos Apostoli leguntur ordinasse, ad mensarum curam dumtaxat et subsidium viduarum pertinuisse, ut credam, vetant sanctiora eorumdem ministeria, quæ in Evangelio prædicando et in Sacramentis administrandis præstitisse eos ipsæ divinæ litteræ testantur (2). Vetant etiam luculenta *Ignatii* et *Polycarpi* (§. XVI.), tum et *Cypriani* (§. XVII.).

(1) *Epist. 65.*

(2) *Act. VII. et VIII.*

testimonia (1). Et amabo! cur easdem prope in Diaconis quas in Episcopo dotes requirit *Apostolus* (2), si tam vile eorum, ut contenditur, ministerium fuit? an tantum necesse fuit adhibere studium in diligendis qui prandia mensasve pararent, ministris? cur his constitutis non sola sufficit plebis electio? cur oratione? cur manutum impositione opus fuit? nimirum idecirco tam diligenter hæc et caute convocata tota plebe gerebantur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. *Cypr. epist. 68.*

§. XIX.

Instituti sunt ad ministerium saerum.

Neque vero *S. Hieronymus*, dum mensarum eos ac viduarum ministros vocat, alia eis ac præstantiora ministeria adimit. Idem enim *S. Doctor* Diaconos habebat, ut Cleri partem laicis *Christi* mandato superiore (3), parique cum Episcopis et Sacerdotibus continentiae lege adstringi probat ex eo, quod immaculatam cum Presbyteris hostiam offerant (4), et in tertio *Sacerdotii* gradu collocat (5). Dum igitur Diaconorum quorundam fastum repressurus, ministerii, quæ institutionis occasionem præbuit, vilitatem objiciebat, non decebat hæc in eum torquere sensum, ut à ministerio altaris eos penitus removisse putaretur. *Trullanæ* vero *Synodi* nihil moror auctoritatem, quæ dum Constantiopolitanæ Ecclesiæ usui regulæ Neo-Cæsareensi adversanti ficta interpretatione præsidium adferre voluit, prodere traditionem *PP.* maluit, quam institutum desere-

(1) *Bingham orig. eccles. lib. 2. cap. 20.*

(2) *I. Tim. III.*

(3) *Lib. 1. adv. Jovin. 34.*

(4) *Ad Pima h. epist. 48. n. 10. edit. Veron.*

(5) *Ad Heliod. epist. 14. n. 8.*

re, ut doctissimus *Espenius* observat. Ceterum Diaconorum ordinem altaris ministerio addictum non negat Synodus, qualem in Ecclesia Græca semper extitisse nemini dubium est.

SCHOL. Conf. Natalis Alexander in *Histor. eccles. Sec. I. dissert. 7.* Dionys. Petavius in *diss. ecclesiast. lib. 2. cap. 1.* et alii ex Theologis nostris passim.

§. XX.

Episcopatus pariter et Presbyterium divinæ sunt institutionis.

Præter Diaconos Deo ita præcipiente ab Apostolis ordinatas (§. X.) duo sunt alii ab ipso Servatore nullo medio instituti ordines, *Episcoporum et Presbyterorum*, quorum hi successionis jure *discipulorum*, illi *Apostolorum* in Ecclesia ejus locum obtinent (§. XIV.). Ac de Episcopis quidem hoc clarissime traditum est memoriae à *Tertulliano*, *Clemente Alexandrino* et *Origenе*, qui omnes proximo post ævum apostolicum sæculo vixerunt (1). Sanctum vero *Cyprianum* iis prope æqualem in eadem fuisse sententia, è pluribus ejus locis testatissimum est. Episcopos enim Apostolis *vicaria ordinatione* successisse adserit in *Epistola ad Florentium* (2). Alibi, quoniam *Apostolos*, inquit, *id est*, *Episcopos et Presbyteros Dominus elegit* (3). Ob eam rem episcopalem auctoritatem *Ecclesiæ gubernandæ sublimem et divinam potestatem* vocat (4). Cum primis autem hoc docet in ea epistola, quæ est ad Lapsos, cuius hoc initium est: *Dominus noster, cuius præcepta metuere et observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ ra-*

(1) *Bingham orig. eccles. lib. 2. cap. 1.*

(2) *Epist. 69.*

(3) *Epist. 65.*

(4) *Epist. 55.*

tionem disponens in Evangelio, loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super istam petram::: Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, ut omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. Quum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse (1) *Nam hoc quidem loco conceptis verbis adfirmat, divina lege fundatum esse, ut omnis actus Ecclesiæ per Episcopos gubernetur. Unam eis addo Nicæni Concilii tempore clarissimum Præsulem Sanctum Athanasium ita scribentem Dracontio: quod si constitutio Ecclesiarum tibi non placet; aut nullam omnino mercedem Episcopi functioni destinatam arbitraris; et Servatorem, qui eam ita instituit, contemnis: oro te, ne istiusmodi quid in mentem admittas, neque auctores istiusmodi consiliorum sustineas. Non enim ista digna sunt Dracontio. Nam quæ Dominus per Apostolos instituit, et bona sunt et firma persistunt. Quod si autem episcopalem functionem, de qua hic Athanasio sermo est, Servator instituit, si Dominus per Apostolos, quin ea divino jure instituta sit, profecto nemini dubium esse potest.*

COROL. Unde innatis est distinctio quorundam inter divinum jus et apostolicum, ita ut Episcopatum apostolicum, non divino juri tribuendum existimat. Nam quum, ut scite observat Beveregius, *Apostoli in Ecclesia propaganda et stabilienda divinitus inspirati atque adjuti fuerint, nihilque fecerint, nisi quod à Christo traditum acceperant, et nihil Christus δέδηπτος, nisi quod à Deo; quare distinguendum sit, vel quomodo distinguatur inter jus apostolicum et divinum, se prorsus nescire. In Cod. canon. eccles. primit. vindic. lib. 2. cap. 11. §. 18.*

(1) *Epist. 27.*

§. XVI.

*Et illi quidem his tam ordine, quam potestate
superiores.*

Ut autem de divina Episcopatus origine veterum dubitabat nemo (§. XX.), ita Episcorum supra Presbyteros auctoritatem ad divinam pariter institutionem mira omnes consensione referebant. Certe ab ipsis inde Apostolorum temporibus usque ad Aërium hominem dignitatis quam christianæ pacis cupido rem nemo unus exstitit, qui Presbyteros ejusdem, atque Episcopos ordinis esse statueret. Contra ea vero omnes, quorum ad nostram memoriam conservata sunt monumenta, ubi ecclesiasticos ordines enumerant, tres istos, Episcorum scilicet, Presbyterorum et Diaconorum velut distinctos, atque alterum altero superiore recensent: id quod à viris doctissimis adeo perspicue, adeo luculenter demonstratum est, ut ex hac tanta Patrum consensione victi etiam, qui repugnabant maxime, confiterentur denique vix sexagesimo ab Apostolis anno, nullam facile reperiri Ecclesiam, quæ non ab uno quodam ac singulare Episcopo administrata fuerit, ceteris Presbyteris præsidente, summamque in universo cœtu auctoritatem exercente. Bevereg. loc. cit. §. 16.

SCHOL. I. Hoc autem ipsum ejusmodi est, ut causam penitus confidere videatur Beveregio loc. cit. §. 17. Primo enim, inquit, primos Apostolorum successores, quos latere non potuit, quomodo Apostoli Ecclesiam perpetuo administrandam fore decreverant, pientissimos fuisse viros, totosque Christi cultui devotos, nemo vel negare potest vel dubitare qui christianam religionem præsefert. Tanta enim fide, tanta pietate, tanto in Christum amore prædicti erant, ut Evangelium ab ipso prædicatum sanguine suo consignare semper parati es-

sent, quippe qui se suaque omnia Christo dedicarant. Quocirca si potuissent, haud dubie numquam voluissernt quivis eorum majorem sibi supra fratres suos potestatem usurpare, quam Dominus ipsis prius concesserat. Hoc enim cum vera pietate neutiquam consistit, ac propterea in tam sanctos piosque viros cadere non potuit::: Quid enim in Christum magis impium, quam sacrum ipsis institutionem sacrilega manu violare? in fratres quid magis iniquum, quam suis eos privilegiis spoliare, et totam istam auctoritatem, quæ ipsis omnibus in commune à Christo commissa fuerat, sibi soli arrogare? Hæc tam egregia sunt ista facinora, quæ presbyterane paritatis adsertores primis Apostolorum discipulis et successoribus imputare non erubescunt, dum eos statim post Apostolorum obitum se supra fratres suos insolentia dominatus extulisse adseverant :::: Et præterea ut si potuissent, numquam voluissent; sic etiam è contrario, si voluissent, numquam potuissent aliam quam apostolicam ecclesiastice administrationis formam ubique saltem terrarum introducere ac stabilire. Si una, fateor, alterave dumtaxat ecclesia à singulari Episcopo gubernata fuisset, suspicari forsitan liceret, aliquam apostolicæ institutioni violentiam ibi nefarie ilitatam esse. Res autem longe aliter se habuit. Omnes enim ecclesiæ ab Apostolis constitutæ, etiamsi magno locorum intervallo disternitæ, sibique invicem vix nomine tenus cognitæ, in unam eamdemque regimini formam conspirarunt: adeo ut secundo nondum adulto sæculo, ac proinde statim post Apostolorum obitum nullam invenire sit ecclesiam, quæ non à singulari Episcopo administrata fuerit. Quod fieri nequaquam potuit, nisi omnes ecclesiæ eamdem disciplinæ atque administrationis formam una cum fide ab Apostolis traditam accepissent, cetera. Conf. Rautenstrauch instit. jur. publ. eccles. sect. 1. cap. 7. §. 102.

SCHOL. II. Primus fuit sæculo IV. Aërius, qui

Episcopatus, quem fertur ambiisse, spe dejectus, Episcopum à Presbytero nulla re differre ausus est adseverare, hæreticis ob eam rem adnumeratus, Augustino teste de *hæresib.* cap. 53. Cujus dogma supra hominum captum furiosum et immane vocat Epiphanius *hæres.* 75. Sepultam diu doctrinam Aërii Wiclefus, quem et ipsum Wigorniensis episcopatus spes fefellisse dicitur, recoxit, discipulum nactus Calvinum *Inst. lib. 4. sect. 2. §. 2. pag. 392.* Ab hoc acceptam sententiam acerrime propugnabant Salmasius *lib. de Episcopis et Presbyteris*, quam sub nomine Walonis Messalini edidit *Lugdun. ann. 1641.* David. Blondellus in *apologia pro sententia Hieronymi de Presbyteris et Episc. Amstelod. ann. 1646.* Franc. Buddeus *Exerc. de orig. et potestate Episcoporum. Jen. 1702.* Just. Henn. Bohmer. *diss. 7. ad Plin. et Tertull. cap. 3. pag. 393. seqq.* alii passim. Salmasio et Blondello responderunt non è nostris tantum Dionysius Petavius in *libris de hierarchia ecclesiastica*, Morinus de *sacris ordinat. part. 3. exercit. 3.* Natalis Alexander in *Hist. ecclesiast. sec. IV. diss. 44.* Joann. Dartis *lib. de Episcopis et Presbyteris*, et eorum differentia, verum etiam ex Britannis eruditissimi viri Thomas Bilsonus de *perpetua Ecclesiæ Christi gubernatione. Lond. 1611.* 4. Joann. Pearsonius in *vindic. Ignatian. part. 2. cap. 13.* Beveregius in *cod. can. Eccles. primit. vindic. lib. 2. cap. 11.* Hansmondus libro de *Episcopis et Presbyt. Lond. 1611.* Franc. Prokesby in *Hist. hierarchie Ecclesiæ primitivæ per tria sæcula, et initium quarti. Lond. 1712.* germanice nuper edita. Bingham *orig. ecclesiast. lib. 2. cap. 1. vol. 1. pag. 53. seqq.* Jac. Usserius de *origine Episcoporum*, ut alios non commemorem.

IUD. ANNALE

§. XXII.

Quod ex sacris litteris constat.

Leve enim est profecto, in quo vim magnam positam esse putabat Bohmerus (1) nomen Episci etiam Presbyteris in sacris litteris interdum tribui. Nam ut demus hoc liberaliter, quod tamen sunt qui in dubium revocent; quid hinc confeceris amplius, quam in principio Christianorum cœtum Præpositos alio nomine appellatos fuisse, deinde vero invaluisse, ut Episci dicterentur ii tantum, penes quos in unaquaque ecclesia summa regendi potestas esset? de quo quidem ego nolim disputare pertinacius. Quid enim appellationum hæc seu varietas seu communio ad evertendam Episcorum vetustamen momenti habet, dum constet, viventibus ipsis et probantibus *Apostolis*, in ecclesiis saltem majoribus uni præ ceteris eminenti principatum fuisse attributum? Et magnum habet hæc sententia præsidium, inquit Moshemius (2), quod numquam, quidquid etiam laborent, dejicient presbyteriani qui nominantur, in Angelis illis, ad quos datæ sunt epistole, quas S. Joannes jussu ipsius Servatoris septem Asiaticis Ecclesiis misit (3). Certe liquet has epistolas vel obiter legenti, Angelos istos homines esse auctoritate præditos, quibus et virtus familiarum, in quibus versabantur dedecori ac virtutes laudi dari potuerint. Similem huic Timothei fuisse auctoritatem à Paulo illi commendatam ex eo potest perspicue intelligi, quod ea auctoritate quemadmodum eum uti deceat, sollicite monet: ne scilicet manus cuiquam cito imponeret: aduersus Presbyteros accusationem ne reciperet, nisi sub duobus tribus-

(1) Cit. diss. cap. 3. §. 8.

(2) De reb. christ. ante Const. sæc. I. §. 41.

(3) Apocalyp. II. et III.